



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Docendus populus de signis externis. 12

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

CAP. XI. *De moderandis donariis, quæ susceptores infantibus donant.*

Quibusdam in locis, ambitionis magis quam pietatis causa, dum utrumque tam Baptismi quam Confirmationis Sacramentum peragitur, hi, qui Patrini dicuntur, certant, ut alter alterum, donariorum precio, (quo suscepti ac presentati pueri donantur,) vincant. Præterea itur statim, maxime post Baptismum, ad comessationes; cum tum maxime comessationibus esset abstinendum. Qua de re monendus est populus, ut, quæ digna sunt his Sacramentis, tantum curent; cætera aut moderentur aut penitus tollant. Nam non offenderimus Deum gravius, quam cum illius sanctissima mysteria indigne tractamus.

CAP. XII. *Docendus populus de signis externis.*

Docebit præterea Parochus populum, quid signet Chrisma, & cur ex oleo olivæ ac balsamo conficiatur; quemadmodum docebit Enchiridion.

CAP. XIII. *De Sacrosancta Eucharistia.*

Eucharistia, unicum illud piarum mentium solatium ac delictum, hac deploratissima tempestate, execranda insania ac abominabili prophanatione hæreticorum, de re tanta quodlibet comminiscendum, plerisque quodam modo in nauseam vertitur: adeo, ut (quod dolentes referimus) multi nunc sint, qui non tantum hunc panem vitæ, qui de cælo descendit, accipere non desiderant, sed & averferent; homines, solo nomine Christiani, re ipsa vero Capharnaitis ipsi deteriores; etiam quos post acceptam noticiam veritatis, voluntarie in Filium Dei peccantes, ac Corpori Dominico & Sanguini contumeliam inferentes, terribilis quædam expectatio iudicii, & ignis æmulatio (quæ consumptura est adversarios) manet.

CAP. XIV. *Quid docendus populus in hujus Sacramenti ministrationse.*

Docendus est itaque populus Christianus, certissima fide credere, quod in hoc Sacramento sit verum Corpus & verus Sanguis Christi Iesu. Neque enim veritas mentitur, quæ apud Matthæum, Marcum & Lucam, hoc Sacramentum instituens ac porrigens, simplicissime dixit: Accipite & comedite; Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur; Hic est Sanguis meus Novi Testam-

enti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum; Hoc facite in meam commemorationem. Sic docet Paulus Apostolus: Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et, Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? Unde conficitur, in Eucharistia totum esse Christum, quanquam ibi sit sub ratione cibi & potus. Qui enim tradidit verum Corpus & Sanguinem, haud dubie tradidit vivum. Quare, si credimus, in sepulcro Divinam naturam non fuisse separatam ab exanimi corpore, quanto magis credemus, eam à vivo corpore non esse separatam in Sacramento?

I Cor. 10.

CAP. XV. *Quibus persuasum est, utramque speciem Laicum participare oportere, quomodo docendi.*

Vbi sunt, quibus contra Ecclesiæ consuetudinem persuasum est, oportere Laicos participare Corpus & Sanguinem Domini sub utraque specie; ibi docebit Parochus hos qui gravatam habent conscientiam, Corpus & Sanguinem Domini in altera tamen specie, perfecte consistere; adeo ut Laicus, qui sub specie panis communicat, non tantum Corpus, sed & Sanguinem Domini, non minus recipiat quam qui capit sub utraque specie & panis & vini: Ecclesiam quoque Laicis unam tantum speciem dare, quod, pro reverentia ipsius Sacramenti & salute fidelium, Ecclesia (cui dispensatio Sacramentorum Dei commissa est) sic viderit expedire. Nam, quum nullatenus ambigendum sit, sub specie panis non tantum carnem, nec sub specie vini Sanguinem tantum, sed sub qualibet specie totum Christum contineri; cur se Laicus iudicio Ecclesiæ, quam Dominus audiri voluit, non submittet? quæ non temere, sed multis rationibus permota, decrevit, salubrius esse, ut non tantum populus, sed & Sacerdotes non sacrificantes, Christum sub una potius specie, quam sub duabus, perciperent. Quid enim panis vini que species aliud sunt post consecrationem, quam species Sacramentales & accidentia sine subjecto? ut non habeat Laicus, cur queratur, sibi alteram subtrahi speciem, ubi totum, quod sub utraque specie continetur, integre accipiat. De qua re alibi latius dicetur.

Ex Concil. Constant.

Matt. 18.

Amb. de Sacra. c. de vere. de conf. dist. 2.

CAP. XVI. *De veneratione sacrosanctæ Eucharistiæ.*

ET, quoniam in hoc Sacramento Christus continetur, cohortandus est populus, ut ad hæc mysteria, contremiscens, quum in celebratione Missarum elevatur Hostia salutaris, se reverenter inclinet, corporeque humi fuso, mente

Ioan. 6.

Hebr. 10.

Matt. 26.

Marc. 14.

Luc. 22.